

Svatý Prokop

Sed qui suis meritis per deitatis gratiam hec innumera insignia operabatur suoque corpori providit glorificationem, nam anno dominice incarnationis M^oCCIII^o apprensus Blasius nomine provisorii et rectori suorum fratrum ipsumque monuit et precepit primo, secundo et tercio, quatenus recepto testimonio spirituali monachorum et secularium conscriptis miraculis, que beatus Procopius operatus fuerat ibidem, ut quantocius ad curiam Romanam properaret propter sui corporis canonizationem, promittens auxilium, si deesset consilium cardinalium aput apostolicum vel consensus eorum ad honorem suo corpori. Qui abbas Blasius iunctis sibi duobus fratribus, testimonio eciam sufficienti terrigenarum fretus est aggressus dominum papam Innocentium tertium. Cui apostolico cum totum negocium seriatim beati Procopii sub atestacione literarum fide dignarum proposuisset in auditorio, papa vero cum cardinalibus pro nichilo dicta ducens eciam scripta parvipendit ac tanti viri sanctitatem. Abbas vero ut fidelis negociorum gestor et commisor multas amoniciones humiliter faciebat sollicitando, unum annum continuavit ibidem. Et cum iam deficeret in expensis nec quidquam proficeret, adorans apostolorum limina devote beato Procopio suum negocium lugubriter ulterius conmisit et surgens eadem nocte clam recedere cepit. Qua in hora beatus vir Procopius, qui dicitur pater pius non tantum nomine, sed re, statim, ut promiserat, venit in auxilium. Nam eadem hora, qua abbas Blasius extra menia civitatis declinabat, iste vir sanctus pape Innocencio apprensus cum baculo pastorali iracunde ait: „Quid hesitasti, quid moram fecisti, quare corpus meum sic iacere dimisisti et capellanum meum sic vacuum abire permisisti? Nisi cito ipsum per viam euntem ad sanctum Laurentium extra muros civitatis redire iusseris et testimonio corporis mei annueris debitumque honorem inpenderis,“ elevans virgam pastorem ait: „sic fodiendo te perfodiam.“ Expergefactus apostolicus vero quis vel qualis esset aut quo nomine vocaretur quasi semiviva voce interrogavit, cui vir Dei respondit: „Procopius vocor, nacione Bohemus.“ Papa tremens subiunxit: „Domine, miserere.“ Et iam sanctus Procopius disparuit. Apostolicus illico surgens convocatis cardinalibus, qui presentes fuerant numero tredecim, quorum nomina in privilegio eiusdem apostolici sunt inscripta, subito abbatem revocavit, attentius et fervencius testimonio perspecto, statim missam celebravit beato Procopio. Deinde data auctoritate cum privilegiorum suorum robore misit Ewordopem sancte Marie trans Tiberym sancti Calixti presbiterum et cardinalem legatum a latere suo, ut corpus beati viri sollempnizatum canonizaretur. Hec autem canonizacio facta est anno Domini M^oCCIII^o Nonas Iulii ect.